



1711 187296 60 pignori data

Sammelblatt!

D 152

L

# SELECTA LOGICA

QVÆ

*In alma Saxonum Ducali*

*ACADEMIA*

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPÆ AC DOMINO*

*D O M I N O*

**GVILIELMO HENRICO,**

DVCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ, GVESTPHALIÆ ET  
RELIQVA,

CONSENSV AMPLISSIMÆ

**FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ**

*P R A E S I D E*

**M. Gottlieb Stollen/**

LIGNIC. SILES.

*publica Eruditorum disquisitioni subjiciet*

D. APRIL. A. O. R. C. 1712.  
AVTOR RESPONDENS

GEORG SAMVEL GEMEINHARDT

CVRIA VARISCORVM.

*J E N Æ*

LITTERIS GOLLNERIANIS.

# SELECTA LOGICA

M. Ulrich. Salomonis Durni  
Logicae admodum  
methodicae et  
seruissimae ratione ac domino  
DOMINO

GALILEI MO. HENRICO  
DACE SAXONIENSIS CHURCH MONITIA  
VNGARIAE, GABRIELIANA  
SLOVACIA, ET  
CONFESSA AMLITISSIMA

HACADTATIS PHILOSOPHICAE

LIBER I.  
M. ULRICH. SALOMONIUS DURNUS  
LOGICA  
D. APRIL. A. O. C. 1. 1621  
AUTOR RESPOUNDENS  
GEORG SAMMEL GEMINUS  
CARII VARRIORUM  
A. V. A. N. A.





§. I. 100. The. 100.

**A**lii Lògicam disciplinam cògnoscendi, dijudicandi & communicandi veritatem definiunt. Alii vero & quidem minus recte, solam cogitandi sive ratiocinandi artem eam faciunt, doctrinam de interpretatione à logicæ finibus excedentes, quæ tamen genuinæ logicæ pars præcipua existit. Hi si tritum modo illud rite considerassent: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter, finem rationis, & qui inde pendent, Logicæ terminos facile cognitos habuissent. Ratio enim non tantum scire, sed & hanc scientiam aliis communicare intendit. Communicamus autem vel nostras vel aliorum cogitationes, quæ, nisi clare ac distincte satis sint prolatæ, interpretatione omnino opus habent. Hoc autem fit conjectando & judicando, quod rationis sive intellectus operatio est, cuius cul-

A 2

turam

turam & perfectionem Logica unice & primo intendit. Quid enim interpretatio aliud est, quam ratiocinium, quo in sensum sermonis vel scripti obscuri inquirimus! Ut adeo constare facile possit, quo jure interpretationis doctrina ad Logicæ disciplinam referatur.

## §. II.

Elucescit inde, Logicæ studium unicuique qui eruditii nomen sectatur, utile valde, immo summe necessarium existere. Sed pater etiam, insignis eum stultitiae signum prodere, qui studio huic æternum inhærere velit. Nam et si v. c. aurifaber omnium suorum instrumentorum naturam & indolem accurate & methodice describere nosset, vix tamen unquam conficeret annulum; si aurum aut nunquam vidisset, aut ejus naturæ adeo ignarus esset, ut do labra illud præparare vellet. Econtra si quis omnes auri ac argenti species ad unguem posset recensere, earum naturam accuratissime nosset, instrumentis vero aut plane destitutus esset, aut eorum usum tractandique modum ignoraret, pari cum priori gaudebit successu. Sic

Sic Logicæ studium, tanquam totius eruditio-  
nis instrumentum qui negligit, novit quidem  
aliquid, sed nec ordine nec distincte illud pro-  
ferre poterit, confusum habebit variarum re-  
rum chaos, quod & sibi & aliis nocere magis,  
quam prodesse valet. Ast qui huic disciplinæ  
unice incumbit, cæteris neglectis, is potius ini-  
tium Philosophi, quam Philosophus appellan-  
dus erit: certe Logica non magis facit Philoso-  
phum ac sola instrumenta artificem. Unde  
vulgatum illud: purus putus Logicus &c. di-  
judicandum erit.

## §. III.

Æque ineptire mihi videntur, qui Logi-  
cam ad res plane incognitas applicari posse si-  
bi aliquique persuasum iverunt. Quomodo e-  
nim judicabis de duarum idearum vel conve-  
nientia vel discrepancia, si natura earum tibi  
plane estincognita. Neque juvabit eos egrae-  
gium illud locorum topicorum inventum, qui  
arculae tantum sunt, quibus confuse cogitata  
ordine reponi possunt. Ast quid repones, si  
aliæ disciplinæ nihil suppeditant, & quid habe-  
bis,

bis, cui regulas tuas adipicere possis. Falluntur itaque hac in re omnino Ramus cum Scholasticis, itemque Raymundus Lullus & Sectator ejus P. Knittel in via regia.

\* prodiit hic Argentorati. 1617.

#### §. IV.

Quod originem Logicæ sive Dialecticæ, ut alii vocant, attinet, \* eam ab Ægyptiorum temporibus deducendam esse, historiæ philosophicæ gnaro vix persuadebis, cum satis notum sit Ægyptios omnia per traditionem docuisse, neque ullum alicujus disciplinæ systema ab illis confectum fuisse. Interim si logican utentem à docente discernere velis; patet, illam cum ipsa ratione humana ortam esse, hanc \*\* vero primus in Systema quoddam redigisse magnus ille Græcorum Philosophus Aristoteles. Qui Calliope pro Dialecticæ Auctore venditant, ludere magis videntur, cum hoc aeque fabula sit ac Calliope ipsa.

\* Ita quidem Jamblichus apud Stobæum serm.  
LXXIX. Revera Deus quispiam fuit, homini-  
bus

bus dialecticam monstravit, & cœlitus demisit; sive, ut nonnulli dicunt, doctus Mercurius, qui manibus dialecticæ Symbolum gestat, nempe Dracones se mutuo inspicientes: sive, ut illi contendunt, qui semper in Philosophia studio primas tenuerunt, Calliope maxima natu Musarum constantem orationis firmitatem, quæ redargui non potest, blanda gravitate excellenter, mortalibus exhibuit. *ex Versione Gesneri,*

\*\* Quod ipse Aristoteles Zenonem Eleatem inventorem Dialecticæ fecerit, sententia meæ, quam defendo, non repugnat. vid. Laert. IX. 25.

## §. V.

Qui rationem contemnunt, verbum Dei contemnunt, rationis sane cultura sine Numinis contemtu negligi non potest. Quod enim per rationem nobis innotescere voluit summum Numen itidem verbum Dei appellari quodammodo potest. Et hæc est lex illa, quæ à Deo inscripta est cordibus hominum testante Apostolo. Hinc quo facilius per rationem voluntas Numinis nobis innotescit; eo graviorem quoque poenam impius ejus neglectus merabitur. Idcirco enim nec Ethnici excusationem ha-

habebunt. Magis itaque adhuc ii peccant, qui rationis usum abhorrent, quam Cynici,\* qui omnem rationalem Philosophiam tolli oportere existimarunt, et si & hi peccaverint, dum doctrinam de vero bono, quam solam necessariam cognitujudicaverunt, sine doctrina de vero & falso recte dignoscendo accurate percipi posse putarunt. Quod ad excusationem eorum assertur, Logicam tum temporis usitatam, Sophisticen potius fuisse, quam genuinam Logicam, non sufficit ad absolvendum reos ab omni reatu, cum hunc defectum supplere, non omnem Philosophiam \*\* rationalem abjicere debuissent.

\* Laert. VI. 103.

\*\* Unde hac in parte Zeno eiusque sequaces Stoici à Cynicis abidere. Vid. Laert. in Zenone & Arrian. in Commentar. disputation. Epicteti lib. II. cap. 25. cuius verba hæc sunt: *cum quidam ex his qui aderant, dum Epictetus disserebat, dixisset, rationes mibi affer, quibus intelligam Logicam esse utilem: vis ut id tibi demonstrare? inquit. Volo sane. Itaque demonstratione adid concludam oportet. Quod ipsum concedente illo, unde inquit, cognosces quando te argutiis deceperem.*

§§(9)§§

cepero? Tacente illo , animadvertisce , inquit  
ut tu ipse fateare Logiceri esse necessariam ,  
quum sine ea ne istud quidem scire possis utrum  
necessaria ars hac , an vero non sit existimanda.

§. VI.

Iis , qui in rationem peccant , præ aliis  
accensendi sunt ii , qui nullam rationis certi-  
tudinem admittunt , quales sunt Superstition-  
si quidam , qui omnem rationis culturam  
neglexerunt , & ex nimia quadam pietate in  
hanc impietatem prolapsi sunt . Quod ad vi-  
ros ingenio & iudicio pollentes attinet , qui  
Sceptici vocantur , nullum unquam fuisse  
puto , qui , nullam afferens dari certitudinem ,  
omniaque æque incerta esse , contra conscienciam  
non locutus sic . Immo certum est , i-  
psum Pyrrhonem quædam statuisse , si non  
certa , tamen probabilia . vid . Laert . in Pyr-  
hone .

§. VII.

Hoc tamen non negandum , innumeras

B dari

dari veritates, quarum certitudo adhuc latet, modo hoc verum maneat, esse quasdam veritates, quarum certitudo adeo clara est, ut de iis dubitare velle, insignis aliquem stultitiae argueret. \* Dantur etiam permulta, quae probabiles dicuntur, quae quasi in libra positae ad unam partem magis, quam ad alteram inclinant. Inde tamen disciplinæ præstantiae atque utilitati vix quidquam decedit, cum saepè veritates certo veræ parum aut nihil utilitatis afferant, probabiles vero multo plures utilissimæ existant.

\* v. c. Nihil simul esse & non esse, bis duo esse quatuor, hominem habere carnem, nam ille, qui sese ex butyro compositum putavit, haud dubie deliravit eo ipso, quo hoc putavit, et si alias quoad cætera potuit fuisse sana mente prædictus. Quæro: an quisquam pro homine sano eum habuerit, qui in meridiana luce constitutus, dubitat utrum dies an nox sit.

### §. VIII.

Notum est intellectum humanum vel sensibus vel ratione cognoscere. Hæc duo, licet

licet in dijudicanda veritate separari non possint; diversa tamen plane sunt. Sensus enim individua tantum & materialia cognoscit, cum ratio universalia & spiritualia tantum percipiat. Errare hinc quis valde poterit, si ratione sola ea percipere velit, quæ median-tibus sensibus tantum cognosci possunt, & Scepticismum crassum vix effugiet. Cum enim illud ratione non percipit, quod tamen percipi posse stulte sibi persuadet, facilius nihil est, quam ut de omnibus, quæ sensu etiam cognoscuntur, sat stolidè dubitet.

## §. IX.

Ex superioribus notum est, dari quas-dam certas veritates, plures vero probabi-les. Harum characterem in sola possibili-tate querere erroneum est. Certas veritates scire, probabiles dum amplectimur, opinari nos dicimus. Cum autem inter opinio-nes probabiles sepe detur differentia quoad majus & minus, haud dubie magis probabi-le minus probabili præferendum erit, eique cum certum haberi nequeat, assentendum.

B 2

Hoc

Hoc sensu frustra negassent Stoici, Sapientem opinari debere.

## §. X.

Qui, ut veritatem inveniant, de omnibus dubitandum esse censem, mihi magis adhuc errare videntur, quam qui pretiolas quasdam margaritas pulveri immixtas habent, utrumque in plateas conjiciunt, quo pretiosa eo facilius a stercore separare queant. Verus Philosophus nihil sine ratione agit; sicuti itaque nec sine ratione aliquid affirmat vel negat; ita etiam sine ea aliqua de re dubitare haud potest. Dari autem certas veritates, de quibus cum ratione dubitari nequit supra jam ostensum est. conf. §. VIII.

## §. XI.

Ædificium sine fundamento extrectum nunquam vidi. Ratiocinatio vero meditationis fundamento nititur. Hinc qui meditari nescit, nescit etiam ratiocinari. Occupatur enim ratiocinatio circa objectum si non plane,

plane, tamen quodammodo cognitum, hinc quo magis illud mihi est perspectum; eo perfectius etiam possum ratiocinari. Incognitæ autem nobis essent omnes ideæ, nisi per meditationem definiendo & dividendo nobis innotescant. Qui autem ratiocinari non novit, judicium de aliorum cogitatis suspendere cogetur. Cui enim ideæ incognitæ adhuc sunt, quomodo ille earum nexum ostendet? & qui hoc non novit, vix de suis, nedium de aliorum cogitatis judicare poterit.

§. XII.

Hinc facile apparet, quam parum nimia sine meditatione librorum lectio prospicit. Multa enim noxia & inutilia leges, sine iudicio si legis. Ergo meditare plura, ut de aliorum scriptis, quid proficuum in iis sit, quid non, judicare queas. Videbis sic legenda esse bona & cum ordine scripta. Confusa enim si evolvas volumina, confusam capies variarum rerum notitiam, quæ nec tibi nec aliis quidquam prodest. Videbis legenda

esse pauca & meditaberis plura ; eaque o-  
mnia in utilitatem tuam & proximi , quæ o-  
mnis eruditio nis finis esse debet.

### §. XIII.

Interpretatio cum ex conjectandi prin-  
cipiis tantum judicet ; manifestum est , eam  
non gignere certam & apodicticam demon-  
strationem , sed fundamentis nisi tantum  
probabilibus , licet à multis non credatur . Si  
enim principia judicandi manifesta essent ,  
quid opus esset interpretatione , quæ pro-  
pterea adhibetur , ut sensus sermonis obscu-  
ri , clarior & distinctior appareat .

### §. XIV.

Hinc verum & genuinum Interpretēm  
de aliorum cogitatis & scriptis oportet judi-  
care non ex suis , sed communib⁹ , inter-  
dum etiam ipsius Auctoris principiis . Sic  
Atheus incongrue valde explicabit Scriptu-  
ram , qui omnia ex falso suo principio diju-  
dicat . Nam qui hoc negligit plerumque  
erit .

58

errabit, quod Lactantio adversus Ethnicos  
Philosophos disputanti s<sup>e</sup>pe accidit. \*

\* e. g. Dum Zenonem ideo furiosum hominem appellat, quia inter vitia & morbos misericordiam posuit, vid. Lib. III. instit. divin. c. 23. quod non fecisset, si prius, quid Zeno per misericordiam intellexerit, explorasset. Intellexit autem agitudinem ex misericordia alterius iniuria laborantis. Vid. Cicero Quæst. Tusc. Lib. III. c. 10. Confer Lipsium de Constantia Lib. I. c. 12. & imprimis Sene-  
cam de clementia. Lib. II. c. 5.

### §. XV.

Qui aliorum mentem recte vult interpretari, prius seipsum cognoscat oportet. Multi enim qui felicis interpretis nomine sibi adulantur, aut turpi nonnunquam contradicendi pruritur aut alio affectu concitati ad aliorum scripta interpretanda proruunt, omniaque verba in pessimum sensum detorquent. \* Hi si modo decorum quid suadent cogitarent, aliorum certe cogitata aequa benignis aspicerent oculis, ac sua ab aliis aspici volunt, & sic controversiarum & ca-

luminiarum numerus haud parum minueretur. Tutius itaque semper benigna præ odiosa eligitur explicatio uti bene monuit Consultissimus Dominus D. Gerhardt in Delin. Philos. rational. Lib. II. Cap. VI. de interpretatione §. 34.

\* Exempla dedit Werenfelsius in libello de Iogomachis eruditorum aureo sane & multis logicis utiliori, et si exiguam tantum partem logices continere videatur.

### §. XVI.

In interpretandis aliorum cogitatis non parum etiam fert momenti conclusionum ad primum principium reductio. Universale singulare omnia & individua sub se comprehendit, & ex principio universali reliquæ conclusiones omnes justo nexu sequuntur. Quod si itaque de conclusionum veritate quæstio oritur, tutius nihil est ac facilius, quam si Conclusiones ad primum reducentes principium, quo ordine & nexu inde fluant accurate examinemus. Hoc enim genuinus est veritatis lapis lydius.

### §. XVII.

Dari autem tale principium non tantum Scholarum tyrones, sed & ipsa res clamitat. \* Dicimus autem non solum cum Aristotelis Schola, sed & cum ipsa ratione: Nihil simul est & non est. Neque video, quomodo quis de veritate hujus principii dubitare possit, si connatam omnibus contrarietatis ideam cogitat. Universalitatem ejus frustra impugnari, universalissimæ, ex quibus compositum est, idæ, satis evincunt. Entis enim & essentiæ idæ ambitum nescio quid effugiat. Unde etiam fluit, propositionem hanc omni demonstratione esse maiorem, cum id, quod universalissimum est, demonstrari nec possit nec debeat. Probare enim nihil est aliud, quam duarum idearum convenientiam in generaliori aliqua idea ostendere, quod autem generalissimum est, quomodo generaliori subordinari poterit?

\* Solide & erudite hoc Consultissimus Dominus D. Gerhardt contra D. Titium defendit in del. Phil. rat. p. 66. seqq. & imprimis in disser. de Veritatis principio & criterio.

Medicina mentis haud inepte dicitur Logica. Hinc illi, qui in docendo alios, prudentiae regulas sequuntur, eadem omnibus applicari non posse, facile vident, perinde ac prudens Medicus febricitanti non eadem prescribit medicamenta, quae colica laborantem tantum juvant. Omnes enim non omnium sumus capaces, nec omnia omnibus convenient, quod quotidiana testatur experientia. Qui liberorum educationis curram agunt, junioribus non ea, quae adultioribus porrigunt alimenta. Sic intellectus culturam qui intendit, incipientibus facilitia, adultioribus difficiliora proponat. Si igitur prudentiae didacticæ nuncium miserunt, qui a difficilioribus lectionum suarum capiunt initium.

## §. XIX.

Doce & scribe utilia, hoc omnis eruditio finis postulat, idem autem est didacticæ ac eruditio, circa quam versatur, finis. Prudentiae regulæ suadent, ut nimis subtilia negligas, \* utilia enim sunt pleraque, quae nimia subtilitate excogitata sunt, aut pro  
af.

affectu hominum aut ludibrio, aut odio aliorum te exponunt. Suadet etiam decorum, ut ab omnibus iis, quæ aliis aut scandalosa aut damnosa existere possunt, abstineas.

\* Ostendit hoc Seneca Epist. 82, quam ita finit: *Nihil est acutius aristæ. Quidam inutilia & inefficacia ipsa subtilitas reddit,*

§. XX.

Logicam ergo nemo prudenter docet, quam genuinus Philosophus, qui vere amat sapientiam & inutilia ab utilibus accurate secernere novit.

§. XXI.

Ii vix Logicæ, nedum Philosophiæ Doctorum nomen merentur, qui disputantes cum alio, unice gloriam suam alteriusque querunt prostitutionem. Sophistas hic certe non Philosophos agunt; & cum decori atque prudentiæ regulas tam turpiter negligant, promesse gloriæ merito opprobrii spinas metent.

§. XXII.

Philosophi est, aliis veritatem agnitam modeste, placide, clare & distincte propone-re, non vero obtrudere: hoc enim frustra

fieret: Philosophus autem sciens volensque nihil facit frustra. Non insipiens ergo Petri Poireti dictum existimo, quod de vera methodo inveniendi verum part. I. §. 8. legitur:  
 „Qui veritatem nulla sinceritate cupit, ei per  
 „nos, quantum quidem ipse valet, delirare &  
 „insanire permittatur. \*

\* Facit & hoc, quod apud eundem legimus de eruditione solida Lib. I. part. III. §. 35. ubi, postquam ostensum esset: id exigere solidæ veritatis honorem, ut ne iis proficiatur, qui non reverenter eam ambiunt &c: ita pergit: sed nec etiam invitis, nec præjudicio pertinaciter libenterque constrictis obtrudenda est veritas: his quia frustra erit, illis quia nullius libertas (quam ne Deus quidem velite cogere) violanda est, nauseam siquidem cum odio parit, non amorem, quicquid ingeritur non appetentibus.

### §. XXIII.

Uti in omnibus rebus, quæ inter se in vicem comparantur, ambigue & dubie valde disputatur, quænam altera sit præstantior: ita etiam, cum de disputandi methodis quæstio oritur, quænam altera accommodatior ad veritatem indagandam existat, anceps

videtur litis alea. Contemnunt quidem multi disputandi methodum per Syllogismum, sed sine sufficienti ratione. Fatendum quidem est, methodum per **questio**nēs plane egregiam esse, sed requirit **etiam** disputatores maxime exercitatos & non minus felici memoria & ingenio quam acri judicio pollentes. Ast pro incipientibus methodum si quæras, nullam invenies, quæ ad discentium captum accommodatior sit, quam qua per Syllogismos disputatur. In hac enim distincto & justo ordine, si rite instituatur, à singularibus ad universalia progreditur disputans, & hæc methodus præ illa longe facilior existit.

## §. XXIV.

Qui Theologiæ, Jurisprudentiæ aut Medicinæ operam navantes philosophiæ studium plane negligunt, necessariis destituti subsidiis rem temere aggrediuntur: Qui vero post Theologiam, Jurisprudentiam aut Medicinam demum philosophicas discunt disciplinas, non minus errant, quam qui Moralis, Physicæ & Politicæ doctrinæ accuratam & fundamentalem querunt scientiam, Logi-

ca tamdiu neglecta, usque dum illas absoluuerint disciplinas. Pertinet huc Germanorum proverbium: **das heist die Pferde hinter den Wagen spannen.**

§. XXV.

Eo vesaniae quorundam processit ambitio, ut, si non ultimum loquerentur, causa sua cecidisse se putarent. Ast sapientiae hoc regulis parum esse conveniens ego potius crederem. Sapiens enim aut de veritate causae suae certus est, & sic, si pertinacem experitur dissentientem, veniam dat stultitiae, reputans, nemini, qui veritatem non lubens amplectitur, eam esse obtrudendam, aut si falsam eam esse cognoscit, in ea pertinaciter atque sine sufficienti ratione defendenda prostitutionem suam magis quam gloriam quarere, haud levius vanitatis criterium esse, merito existimat.

§. XXVI.

Philosophia, quæ verbo Dei revelato contradicit, non est vera Philosophia, impingit enim adversus veræ Logices præcepta, cum quibus vera Philosophia semperconvenit.

*Errata corrigenda.*

§. 1. l. 7. leg. excludentes. §. 4. l. 12. leg. Aristoteles dicitur.

§. 5. n. \*\* l. 9. leg. ut pro ad.

... ( o ) ...

Pereximie Domine Respondens,

**G**RATUM, IMO LONGE GRATISSIMUM MIHI  
FUIT, QUOD PUBLICI NUNC JURIS FACERE  
LUBET, FELICIS INGENII, JUDICIIQUE  
EXASCIATI SPECIMEN; COGNOSVI ENIM  
EXINDE PRAECLARIUS TUOS IN STUDIO PHILOSOPHICO  
PROSECTUS, QUOS QUIDEM NON PAUCI, QUI JU-  
RISPRUDENTIA NAVANT OPERAM, FLOCCI PENDENT,  
IN QUORUM JUDICIO TU TAMEN NON SINE RATIONE  
JUDICIUM REQUIRIS. OMNE ENIM IUS, QUO UTI-  
MUR, TANDEM RECETE INTELLIGERE, EJUS RATIONES  
FUNDITUS PENETRARE, ET CONTRA QUOSVIS MALITIAE  
PERINDE AC STULTITIAE INSULTUS STRENUE TUERI, QUIN  
ad

ad facta singularia ritè applicare posse, non est  
cujuslibet, sed ejus tantum, qui philosophiae  
tum rationalistum moralis studium cum juris-  
prudentia sedulò conjunxit. Qualem, Amice di-  
lectissime, philosophie impenderis operam, the-  
ses tuas, quas Tibi paucis tantummodo immu-  
tatis reddo, defendendo publice ostendes: qua-  
lem vero Juris studio consecraveris industriam,  
ulteriora in posterum comprobabunt specimi-  
na. Hinc eo, quo virum cordatum decet  
candore & Tibi & Patriæ & Tuis de tuo hoc  
egregio specimine animitus gratulor, & vota  
inter pro tuâ salute ardenter effusa mirificè  
gaudeo Te videre aliquando non Rabulam,  
non Legulejum sed rationalem Jure-Consul-  
tum. Vale & ama

Tuum

quem nobis

STOLLIVM.

OO A 6357



f

56.

vD 18

7000





# SELECTA LOGICA

QVAE

*In alma Saxonum Ducali*

ACADEMIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO

D O M I N O

**GVILIELMO HENRICO,**

DVCE SAXONIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ, GVESTPHALIÆ ET  
RELIQVA,

CONSENSV AMPLISSIMÆ  
**FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ**  
PRÆSIDE

**M. Gottlieb Stollen/**

LIGNIC. SILES.

*publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit*

D. APRIL. A. O. R. C. 1515 CCXII.

AVTOR RESPONDENS

GEORG SAMVEL GEMEINHARDT

CVRIA VARISCORVM.

---

J E N Æ

LITTERIS GOLLNERIANIS.